

1940

## Letter from Apostolic Delegate

Marius Zanin

Follow this and additional works at: [https://digitalcommons.whitworth.edu/amrhein\\_eph](https://digitalcommons.whitworth.edu/amrhein_eph)

---

### Recommended Citation

Zanin, Marius , "Letter from Apostolic Delegate" (). Amrhein Collection, Whitworth University Library, Spokane, Washington.

This Book is brought to you for free and open access by the Amrhein Collection at Whitworth University. It has been accepted for inclusion in Ephemera by an authorized administrator of Whitworth University.

Quaedam consilia practica a Sacerdotibus et Sororibus in "castris" concentrationis observanda.

Dilectissimi Sacerdotes ac Sorores,

verae comprehensionis sensu pater-

naeque communionis affectu intelligo, quidquid patiamini in diebus, qui tristes incertique nos urgent dolores morales ac interiores illos spirituales, privationes quotidianas, quae proveniunt ex necessitate, angustia, paupertate et miseria.

Dura, durissima sunt haec omnia, sed certum certissimumque etiam est quod ex tenebris hujus temporis nebulosi splendescit lux magna, quae illuminat adventum gloriosum triumphi pro regno Dei in ipsa hac terra vestri sudoris et lacrymarum, quae dies venturos foecundabunt.

1) Solatium invenietis in axietate vestra et requiem necessariam in dubiis vestris omni die legendo paginam ex Actis Apostolorum, ex Epistolis Catholicis et Paulinis.

2) Verba enim consueta confirmationis et consolationis humanae non valent nec decent amplius in condicionibus in quibus versamini. Valent nunc lumen de coelo, rationes supernaturales, argumenta infallibilia fidei, certitudines aeternae spei christianae et sacerdotalis. In cogitationibus meis vobiscum sum omnibus horis diei, in passione socius non solum ut vobiscum orem et patiar, sed etiam exhauriendo omne modum omnique medium (prope et procul), quae possint pastorem reddere gregi et gregem pastori. Insimul considerate, commentamini et conversamini inter vos historiam Ecclesiae, et gloriosum habebitis, pro nomine Iesu contumeliam pati.

3) Evitate longas conversationes tristitia et desolationis, conquerustus et quaerimoniae, objurgationes inutiles, ne pessimismus locum inventiat in vobis.

4) Statuite, in quantum possibile, scilicet inter limites condicionis vestrae, programma diurnum vitae communis, horas fixas pro oratione, studio, labore, requie etc.: taliter enim instituendo vitam plus prodest quam alia media humana.

5) Humilitas spiritus, abnegationes frequentes, sacrificium sui ipsius, jucunde susceptum et sustentum, fortificabit inter vos vinculum fraternalae caritatis, quae lacrymas mutat in rorem coelestem margaritis pretiosiorem. Omnia mihi indicant et omnes mihi affirmant hoc non nisi esse transitorium quid: propterea consolamini invicem et qui inter vos est fortior, sustineat et confortet debilem, infirmum, desolatum.

6) Gratissimum vobis ero si partem passionum vestrarum offerre velitis etiam pro me, ut munus meum responsabilitate gravissimum et crucem meam, quae omni die nova mihi imminet, fortis sufferre valeam.

7) Tandem paterno animo vos omnes, dilectissimi filii, saluto ipsis divi Pauli verbis quae meditationi et considerationi vestrae propono: "Fratres, rogamus vos, corripite inquietos, consolamini pusillamines, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes..... semper quod bonum est sectamini in invicem et in omnes. Semper gaudete. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite: haec est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod bonum est tenete..... Deus autem pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela, in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur." (I Thess. cap. 5 vers. 14-23.)

Per amanter in Domino omnibus et singulis ex corde benedico.

+ Marie Zannu

Delegatus Apostolicus

Letter sent by Apostolic Delegate to Catholic Fathers & Sisters interned in Wei Hsien